

---

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MENTIS AFFECTIONIBUS.

---

---



6

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
*MENTIS AFFECTIONIBUS;*

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

*PRO GRADU DOCTORIS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS OSBORNE,

*HIBERNUS.*

---

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

---

1801.



MEMORIÆ

PATRIS, PRECEPTORIS, AMICI,

A ME, INTEMPESTIVA MORTE

---

EREPTI,

A RECORDANTE ANIMO,

NUNQUAM

ERIPiENDI,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

---

ILLI SOLI DEBITAS,

SACRAS

VULT

GEORGIUS OSBORNE.



---

---

“ Can’st thou not minister to a mind diseas’d,  
“ Pluck from the memory a rooted sorrow,  
“ Raze out the written troubles of the brain,  
“ And with some sweet oblivious antidote  
“ Cleanse the foul bosom of that perilous stuff  
“ That weighs upon the heart ?”

---

---






## ERRATA.

P. 10 line 1 *pro* Quæ lege Qui.

P. 14 line 10 *pro* cerebris lege cerebri.

P. 18 line 11 *pro* Delirationem lege Deliratio.

P. 19 line 19 *pro* administrandi lege admini-  
strandæ.



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MENTIS AFFECTIONIBUS.

---

---

AUCTORE GEORGIO OSBORNE.

---

---

§ 1. **MENS** humana, divinâ fere vi prædita; medici attentionem indefessam sibi vindicat. Multorum enim, quibus genus humanum obnoxium est morborum, magna pars ex mente affectâ originem ducit, et nulli his sanatu difficiliore evadunt.

§ 2. Priusquam hos morbos considerare progrediamur, necessarium videtur, breviter mentis operationes in sano statu præcipuas, seu ejus physiologiam, indagare.

A

§ 3. Ab

§ 3. Ab omni ævo sedem animi frustra explorârunt Philosophi, et fatis manifestum est, ejus situm nunquam hominis comprehensioni exponendum. Nequaquam igitur operæ pretium videtur, varias quæ de eo factæ fuerunt hypotheses hîc annumerare; hujusce solummodo certi fumus quòd inter cerebrum et mentem existit connexio arctissima, et hoc fundamento nititur explanatio quæ nunc datur posterioris operationum.

§ 4. Inter omnes nunc consensum est, ideas mentem accipere per sensuum medium; neque posse oriri ideam, nisi prius impressio quædam vel mutatio sit facta in organa sensûs.

§ 5. Magni nominis Physiologi has primas impressiones receptas ascribunt extremitatibus nervorum sentientibus, ex quibus per hos propagantur ad sensorium commune. Hinc nervi vocantur Sensationis Conductores.

§ 6. Quando igitur impressio aliqua vel mutatio in has extremitates facta, ad sensorium delata et menti communicata sit, excitatur idea, et inde oritur *Perceptio*.

§ 7. Hæc

§ 7. Hæc perceptio est primus aditus et quasi fenestra notitiæ omnigenæ ; quippe sine qua ideæ nullæ mentem attingere possint.

§ 8. Hujus facultatis progressum à prima ad senilem observamus ætatem ; in infante parva, juvene major, adulto maxima, sene iterum parva. His gradibus aliquando occurrunt exceptiones, sed neutiquam valentes positionem generalem subvertere.

§ 9. Nequaquam in animo est, hinc controversias inire, utrum mens semper cogitat, utrum ideæ innatæ hominibus adsunt, &c. &c. Hæc theoriæ, quamvis perpulchræ, hujus dissertationis limites longè superarent.

§ 10. Diximus § 4, quòd perceptionem habere, necesse est impressionem factam fuisse in organa sensûs ; et addere licet, hanc impressionem definitæ vis et durationis debere esse ; et videtur esse lex conditoris rerum adorandi, mutationem ullam his conditionibus in organa sensûs factam, necessariò succedendam ideâ in animo respondente.

§ 11. EX

§ 11. Ex renovatione ideæ ejusdem, constaret impressiones easdem referri semper ad eandem cerebri partem.

§ 12. Sensationis differentia non semper supponit differentiam in modo agendi, sed imputanda est aliquando variationi intensitatis in actione eadem. Hoc manifestatur in gradibus caloris et frigoris. (*Cullen's Physiology*).

§ 13. Perceptio existit in omnibus ferè animalibus, sed in homine, longè majori dignitate.

§ 14. Si mens commoretur aliquamdiu in unam ideam fixa, *Attentio* five contemplatio vocatur.

§ 15. Mentis vires contemplatione (modo hæc ne nimia fit), acuuntur magnoperè ; huic multùm confert solitudo, quâ nil studio incumbentibus optandum magis ; hâc arte, philosophi antiqui tanta scientiæ humanæ monumenta nunquam imitanda, posteris reliquerunt. Per fylvas, per nemora, per opaca locorum lustrabant, quærentes verum et naturam omnibus operibus contemplantes.

§ 16. Tenebræ

§ 16. Tenebræ quoque, ob attentionem rebus externis haud distractam, contemplationem adjuvant; et si conjecturæ indulgere liceat, nunquam adeo divinè cecinisset immortale gentis Graiæ decus, si non luce orbatus fuisset.

§ 17. Quando sensationis impressiones evanuerunt vel oblitæ fuerunt, mens vim possidet mirabilem, revocandi et integrandi ideas ex his impressionibus receptas. Hæc facultas *Memoria* appellatur,

§ 18. Quæ nobis prorsùs necessaria est, quia mens hominis finita nequit eodem tempore plures considerare ideas.

§ 19. Memoria adjuvatur, attentione, repetitione, voluptate, dolore, et liquet notare eundem esse progressum hujus facultatis, quem in perceptione enumeravimus; scilicet, usque ad virilem ætatem crescere, senectute minui: hæc verò observatio nequaquam universalis est. Omnibus enim notissimum est, senes aliquos et vetulas innumeras, memoriâ præditos esse, etiam ad fastidium vividâ et tenaci.

§ 20. Hæc

§ 20. Hæc admodum varia facultas—“ Vera  
 “ et optima memoria dicitur facultas illa, qua  
 “ varias cogitationes præteritas, veluti sensus,  
 “ perceptiones, eodem &c. quo fuerant ordine re-  
 “ ceptæ, ad arbitrium nostrum revocamus, de-  
 “ tinemus, contemplamur, dimittimus.” (*Greg.  
 Conspectus.*)

§ 21. In memoria mens non semper passiva manet, sed vi sæpe activâ nititur, idearum abditarum investigatione.

§ 22. Animalia hanc exhibent operationem in magno gradu.

§ 23. Cùm mens receptaculo suo multas re-  
 posuit ideas, potestatem possidet, illas conjungen-  
 di, dividendi, arbitrio suo disponendi, quæ voca-  
 tur *Imaginatio*, et hæc juventutè vividior, mediâ  
 ætate moderatior, senectute seignior.

§ 24. Imaginatione pendet maximè ingeni-  
 um. Hinc poëtis hæc utilissima facultas, qui re-  
 rum similitudines et convenientias aptè fingendo,  
 lauream indagant Apollinarem, viamque affe-  
 ctant



stant Parnasso. Hoc perpulchrè enūtiatur ab  
eximio Shakespeare :

“ And as Imagination bodies forth

“ The forms of things unknown, the poet's pen

“ Turns them to shape, and gives to airy nothing

“ A local habitation and a name.”

§ 25. Comparatio plurium animo delatarum  
idearum, vocatur *Ratio* ; et harum separatio ac-  
curata, in quibus minima percipi potest differen-  
tia, *Judicium*.

§ 26. Opifex supremus omnibus conjunxit  
ideis, vim definitam voluptatis et doloris, qui-  
bus incitemur ad actiones cogitandi et movendi,

§ 27. Sine quibus homo non anteferret ideam  
vel motionem quamvis unam alteri, et ita vitam  
degeret iners, ignavus, lethargus, nequaquam  
perficiens vitæ propositum.

§ 28. Manifestum est, quod nobis infit po-  
testas incipiendi vel sistendi, continuandi vel  
terminandi multas et mentis et corporis actiones ;  
hæc potestas *Voluntas* appellatur, et hujus exerci-  
tatio *Volitio*.

§ 29. Ut vultûs, ita mentis mira observatur in-

ter

ter homines diversitas. Hic, tantâ animi firmitate dotatur ut in rebus prosperis vel adversis, in sanitate vel morbo, in periculo vel securitate, æquam mentem ferret—cuicunque casui improvise objectus fuerit talis ;—collocatus sole sub fervido, vel zonæ frigidæ regionibus glaciatis, immotus, firmus, impavidus manet, nullius confcius terroris, nullâ pallefcens culpâ.

§ 30. Longè aliter se habet ille, qui timidus, imbecillis, suis gratificationibus deditus, neque eam animi vim, quæ variis quibus objicitur casibus, possit eripere, possidet, neque rebus adversis superior ascendere valet.

§ 31. Hæ sunt igitur mentis in sano statu præcipuæ operationes, et quò perfectiùs iis fruitur homo, eò propiùs accedit ad illius imaginem, qui nos sibi ipsi similes creavit. Quando sæculorum præteritorum monumenta et vim animi ferè incredibilem, quâ præditi fuerunt quidam, contemplamur ;—quando v. g. tuemur mortalium sapientissimum, Socratem bonum, inimicos condonantem, et se morti immeritæ convertentem ;—quando providum Laërtis filium, post decem

annos

annos orbem terrarum peragrando præteritos, post tot pericula passa, “adversis rerum immerfabilem undis;”—quando immortalem Regulum, Carthaginensem redeuntem, et funus crudele dedecori anteferentem;—quando juvenem continentem spectamus, captivam amatam, jure belli suam, amatori reddentem, et seipsum domando, victoriam maximam obtinentem;—quando denique consideramus ad quantam perfectionem, omnes ferè artes atque scientias homines perduxerint, vi mentis solà; veneratione illius potestatis supremæ implemur, quæ hoc pulchro, hoc divino Spiritu, corpus humanum animavit, corruptionis experte.

§ 32. Si per orbem terrarum existere possit homo, adeo excors, adeo præceps ut dei existentiam parùm crederet, perscrutetur animum suum, contempletur ejus vires, contempletur vires Newtoni, et si maneat incredulus, nequimus non insanum judicare.

§ 33. Felices fuisset, si hæc corporis nostri caduci habitatrix sana semper maneret; sed ut omnia mortalia mutationi exponuntur, ita mens innumeris et gravissimis morbis obnoxia est,

§ 34. Quæ causis ex multis oriri possunt.

§ 35. Causæ sunt, nimia animi exercitatio, neglectus motus animalis, vita sedentaria aut studiosa, intensa cogitatio, nimia mentis mobilitas, emotiones vehementes, morbi corporei, per-vigilium, frequens inebrietas, Venus nimium culta, &c. &c.

§ 36. Harum longè acerrimæ sunt mentis emotiones violentes, quæ semper mutationes respondentes (vel morbos) in corpore excitant.

§ 37. Gaudium ipsum, homini adeo gratum, diros aliquando producit effectus, et indubitabiles historias habemus, animam gaudii excessu effudentium; hoc evenit quando nimium est vel subitaneum, et eò usque motum sanguinis auget ut excitetur apoplexia.

§ 38. Tristitia contrà pulsum arteriarum retardat, genus nervosum debilitat, dyspepsiam inducit, unde pallor, icterus, et morbi ex humorum obstructione provenientes: in temperamento melancholico tristitia melancholiam sæpissimè creat.

§ 39. Metus, in cor sedativâ agit vi, vaporum

porum inhalationem auget, exhalationem minuit, et inde morbis contagiosis corpus proclive reddit.

§ 40. Terror, ex imminantis mali horrore pulsum rapidiorem facit, robur auget; convulsiones, spasmos, epilepsiam, stuporem frequenter gignit; vim muscularem intendit magnoperè; paralyfin quoque aliquando summovet terror. In libro eximio de Oeconomica animali refert Gardiner historiam asthmatis remoti terrore; hæc verò animi affectio, circuitum sanguinis impediendo, aliquando trucidat.

§ 41. Ira, violenter excitat spiritus, cordis palpitationem, pulsum frequentiam, vim muscularem intendit, bilis secretionem auget, eandem vitiat, sanguinem pellucida vasa versus impellit, obstructions sæpè summovet, morbos chronicos levat; furorem, inflammationes, febres ardentes creat.

§ 42. Amor ipse poëtis adeò decantatus et jactatus, tanquam esset felicitas optanda, genus nervosum ferè semper afficit tardo sed certo et haud rarò immedicabili veneno. In viris, indolentiam, anxietatem, desiderium, pervigilium,  
animi

animi abstractionem, tabem, languorem illaudabilem et mentis mobilitatem, quæ miserum reddit, ludibrium cujusvis emotionis, gignit.

§ 43. In fæminis hoc non tam sæpe evenit, quia minus quam viri, amori sunt proclives. Aliquando tamen puellis accidit, et tunc malis supra numeratis addere debet, anorexiam, chlorosin, amenorrhoeam, cum turba morborum sexui propriorum.

§ 44. Ex his rapidè conspectis videre licet quam latum imperium tenent animi emotiones et super mentem et corpus; argumentum validum connexionis inter corporeas et mentales facultates obtinentis.

§ 45. A diris perturbati animi consequentiis, oportet nos semper memores esse divini poëtæ moniti :

‘ Latius regnes avidum domando

“ Spiritum, quam si Lybiam remotis

“ Gadibus jungas, et uterque Pœnus

“ Serviat uni.”

§ 46. Diximus § 25, quòd iudicium est facultas,

tas, quâ mens distinguit ideas illas in quibus minima observari possit diversitas.

§ 47. Judicii sanitas à cerebri sanitate pendet,

§ 48. Cujus fabricâ læsâ, compressione, irritatione, sanguinis defectu, turbatur facultas judicans, perceptiones sive reflexiones internæ videntur ex impressionibus externis venire, confusio oritur, et comparatio prohibetur.

§ 49. Ex læsa facultate judicante, nascitur *Vesania*.

§ 50. *Fatuitas* est judicii imbecillitas vel defectus; causæ sunt, perceptio obscura, memoria imperfecta et depravata, ideas comparandi et abstrahendi inabilitas. Originem quoque ducit aliquando à morbis corporeis, veluti apoplexiâ, epilepsiâ, vermibus, &c.

§ 51. Definiri potest *Delirium* “ in vigilante, judicium falsum, ex imaginationis perceptionibus vel recordationè falsâ oriens, et vulgò creans emotiones abnormes.” Somnia dormientis, refert delirium:

§ 52. Binis modis occurrere possit, vel in  
morbis

morbis pyrexiiis et neurofibus, vel sine his cum illo conjunctis; hæc posterior *Insania* appellatur.

§ 53. Videretur insanitas mentalis omninò affectio esse, sed ob arctam corpus inter et mentem connexionem, pro certo habendum est, animi affectiones a certo corporis statu, præsertim cerebri, pendere.

§ 54. Eximius Physiologus Cullenus affirmat, et cum summa verisimilitudine, pendere insaniam à cerebris excitatione inæquali. Nam ut probè exercentur intellectûs functiones necessarium videtur, excitationem perfectam et in omni parte cerebri æqualem debere esse; sed si pars cerebri ulla neque excitetur neque excitanda sit, memoriam nequaquam ut decet perfici posse; dum eodem tempore aliæ partes, plus excitatæ et magis excitabiles, communicare possunt perceptiones falsas, associationes, judicia.

§ 55. Iisdem causis, in febribus, delirium imputandum.

§ 56. Ex innumeris insanix mortuorum dissectionibus, cerebrum detectum fuit et spissitudine et densitate magnoperè mutatum;—quædam

partes



partes duriore, aliæ flaccidiore solito inventæ. Læsiones organicae sæpè observatæ;—quæ omnia hypotheses supra memoratas confirmant.

§ 57. *Hypochondriasis* est morbus à statu mentis præcipuè pendens. Signis semper diagnosci- tur sequentibus: ignaviâ, mœstitiâ, timiditate, mali futuri apprehensione, anxietate maximâ de corporis valetudine, dyspepsiâ in temperamento melancholico.

§ 58. Hujus temperamenti adultis propria videtur, nam rarò juventuti accidit eam circum- spectionem, et suspicionem comparare, quas in hypochondriasi observamus.

§ 59. In hoc morbo curando attentio magna menti debet dari, neque aegri phantasiæ, ut- cunque ridiculæ et malè conditæ videantur, un- quam injustæ considerandæ.

§ 60. Aquæ minerales ferrum continentes multùm laudatæ fuerunt, tùm ob vim tonicam quâ in ventriculum agunt, tùm propter o- blectationem et exercitationem eorum usum co- mitantem.

§ 61 Bal-

§ 61. Balneum calidum, relaxando nimiam solidorum rigiditatem, Hypochondriacis sæpe profuit.

§ 62. Ex ventriculi torpore, aciditas, in hoc morbo, crebrò oritur, quæ antacidis (alkalinis et absorbentibus) sedulò obvianda.

§ 63. Alvi astrictio, quæ vulgò hypochondriacis comitatur, laxativis removenda.

§ 64. Denique, exercitatio, occupatio, venatio, societas hilaris, peregrinatio, animi nimiam sollicitudinem cohibendo, juvant multùm.

§ 65. Hypochondriacis multis in rebus refert *Melancholia*, sed quibusdam discrepat.

§ 66. 1. Hypochondriacis semper comitatur dyspepsia, melancholiam rarissimè ; 2. in priore metus atque dejectio animi ex apprehensione de valetudine nascuntur ; sed in posteriore ex iudicio de aliis rebus falso. Hæc distinctionis nota fidelis atque constans.

§ 67. Præterea distinguuntur sæpe causarum remotarum cognitione. Rarò accidit, amorem vel superstitionem hypochondriacis creare ; sæpenumerò verò melancholiam gignunt.

§ 68. Hu-

§ 68. Hujus insanitatis speciei causa proxima oriri videtur ex firmiore et magis arida textura in cerebri medulla ; ut dissectionibus patuit.

§ 69. In melancholia, eadem attentio quam in hypochondriaci § 59, ursumus, menti laborantis danda est.

§ 70. Alvi astrictio, adeo frequenter hujus morbi comes, sedulò removenda. Inter antiquos celebris fuit helleborus niger, ad melancholiam seu atram bilem arcendam ; à recentioribus administratur ad alvum purgandam. Alia remedia purgantia, veluti senna, jalapium, tartarum solubile, aloe, &c. in usu sunt.

§ 71. Si diathesis phlogistica prævaleat, venæsectioni confugiendum est. Sed si melancholia sit solummodo morbi febrilis sequela, hoc remedio nequaquam uti oportet.

§ 72. Balneum calidum, iisdem de causis, quas § 61, notavimus, bonum.

§ 73. Ni signa præbeat ad maniam proclivitatis melancholia, opium nequaquam administrandum.

§ 74. Exercitatio, peregrinatio, diæta tenuis, cibi modici sed non nimis parci, adhibendi.

§ 75. *Mania* definitur à Culleno “ infania universalis : ” à melancholia videtur discrepare gradu tantùm, et hæ sæpenumerò in se invicem convertuntur. Hoc attribuendum est excitationis inæqualitati variis temporibus.

§ 76. In mania iudicium falsum est frequenter de rebus externis, sed frequenter de rebus in memoria reconditis : creans illam loquelæ absurditatem quam *Delirationem* vocamus,

§ 77. Animi emotiones vehementes, permanentes, maniam, cerebri excitatione abnormi, producunt. Hæ sunt in genere hujus affectionis causæ,

§ 78. In mania, mirabili modo robur auctum observamus ; et propter insensibilitatem ad impressiones, deveniunt supra fidem patientes maniaci, frigoris, inediæ, pervigilii,

§ 79. In mania, mens, ab uno iudicio falso ad alterum, rapidè tranfit ; sed in melancholia, vulgò manet eidem fixa. Maniaci, iræ proclives sunt mirum in modum,

§ 80 Hujus

§ 80. Hujus morbi gradus multos notamus, et quò violentiùs adfunt eò fortiùs oppugnandi.

§ 81. In quibusdam temperamenti sanguinei, mania est jucundissima et sæpe risûs cachinnis immodicis comitata. Hoc modo affecti coercendi sunt certè, sed nequaquam eâ severitate, quæ in iis qui ad furorem tendunt, necessaria videtur.

§ 82. Sed in mania violenta et irritabili, ad remedia fortissima confugiendum, inter quæ primum locum tenent coercio, et intra foras detentio.

§ 83. Timidi sunt omnes ferè maniacy, ideoque timore, ob vim quâ in corpus valet sedativam, inspirari debent. Et necessarium est illos custodem præcipuè pertimescere; nequaquam verò semper terrificandi, contrà indulgendi sunt quando mereantur,

§ 84. Regimen antiphlogisticum et diætã tenuis semper administrandi; evacuationes quoque utendæ,

§ 85. Venæsectio imprimis. Quando morbus nascitur ex intemperantia, passionibus violentis, vel cogitatione intensâ; et quando prævalet diathesis

thesis phlogistica ; sed si mania oriatur à tabe, vel sequela sit typhi, variolarum, vel febris intermittens, hoc remedium non est utendum.

§ 86. Cum eodem proposito (scilicet removendi vasorum cerebri plethoram) purgantia in usu sunt. Haec remedia suprâ recensita sunt, § 70.

§ 87. Vomitus, ad superficiem determinare, administratur saepe.

§ 88. Abradatio capitis et ejusdem lotio cum aceto tepido laudantur à Dre. Mead. Negat verò, emplastra vesicatoria ullum praebere usum.

§ 89. Applicatio glaciei et nivis capiti, precipitatio subita maniaci in aquam frigidam, detentio ejus in eâ ad tempus, et aquae frequens in caput effusio, multùm profunt.

§ 90. Balneum calidum in melancholia, utilius videtur quàm in mania.

§ 91. Opium administravit Cullenus feliciter. Ab usu ejus cavendum verò, si prævaleat diathesis phlogistica.

§ 92. Labor assiduus aliquando curationem maniae perfecit ;

§ 93 In

§ 93. In quo morbo et in melancholia quoque, si dejecti et desperati sint generis sine furore, musices vis miros sæpè præstat effectus ;

§ 94. Cujus potestatem ab omni ævo agnô-  
runt homines; aliquando maniâ dejectâ afflicti,  
lugubrem mœstitiam abjecerunt, si moduli suavēs  
harmoniaë fuerint tempestivè adhibiti; haud verò  
defunt exempla, in quibus musica, ideas mole-  
stas in memoriam revocando, nocuit magnoperè.

§ 95. Denique exercitatio, animi abstractio ab  
iis rebus vel ideis de quibus falsum judicium format  
insanus, peregrinatio, propter variationem obje-  
ctorum, societas, occupatio, &c. profunt multùm.



EX TYPOGRAPHICO ACADEMICO.

